

LVNÆ DIE 19 M. IVNII A. 2006

A.d. XIII Kal. Iulias a. MMVI

I 3 2

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.llicoppe@skynet.be / <http://users.skynet.be/Melissalatina>
Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4

AD LECTOREM

DE CLIMATIS MVTATIONE

Æquales nostri, volentes nolentes, a communicatio-
nis intermediis non solum imbuuntur notione
mutationis climatis, sed etiam culpæ societatis humanæ
hac in re. Plerique tamen homines vix quicquam sciunt
de huius consensus fundamentis scientificis. ¶ Prima
quæstio ergo est hæc : « Suntne fida communicationis
intermedia ? ». ¶ Feliciter in orbe occidentalí respicitur
libertas preli ; itaque diurnariis commentatoribusque
licet quælubet divulgare. Libertas tamen non necessa-
rio congruit cum sinceritate. Agentes intermediorum
pendent ab eis, a quibus salarium accipiunt, atque
curatores intermediorum efficere debent ut suæ socie-
tates quæstum faciant. Hæ ergo sunt causæ diffiden-
tiæ. ¶ Michael Crichton, scriptor Americanus, librum
recenter edidit, cui titulus est *Status necessitatis* (Fr.
État d'urgence), ubi dicit societates occidentales ad
consensum compelli timoribus ineptis et in animos
consulto insertis. Notandum est istum auctorem mani-
festo bene scire quantum homines ament timorem pati,
qui conscripserit librum *Viridarium Iurassicum* ins-
criptum. ¶ Si Michaelis Crichton dicta vera sunt, tum
oritur nova quæstio : « Cur regentes Europæi populares
nostros timore afficere volunt ? ». Ipsi respondent : ut
mutentur sumptuosæ æqualium nostrorum consuetu-
dines. ¶ In hac tamen voluntate apparet quædam dis-
crepancia. Nam iidem regentes effecerunt ut intra
novissimum semisæculum commoditates, quibus initio
fruebantur rariores divites, nunc toti fere populo
essent in promptu. Plerique enim homines in hodiernis
societatibus occidentalibus magna aquæ copia utuntur
ad corpus lavandum, cibis non solum indigenis, sed
etiam e remotissimis orbis terrarum regionibus allatis
vescantur, proprio autocinetu vehi malunt quam com-
munibus vehiculis, longinqua itinera delectationis
causa facere solent, ut pauca dem exempla. ¶ Regentes,
qui populum ad hunc statum duxerunt, nunc terrentur
effectibus harum lautiarum. Nam quo magis se pro-
gressistas vocant, eo magis ut conservatores se gerunt.
Immobilitatem colunt ; hodiernum statum omni modo
servare malunt, quam societatem humanam ad possi-
bles mutationes aptare. Timorem in animos inserere
est vetustissimus modus, quo humani mores regi possint.
¶ Timor populi potest etiam indagatores adiuvarare
ad pecuniam pro laboratoriis accipendam. Parvum affe-
ram exemplum. Hoc anno Belgica stationem scientifi-
cam instruit in continente Antarctica. Cum hoc nuntia-
tur in diario Bruxellensi, symbolæ scriptor interrogat :
« Quid isti acturi sunt in regionibus tum desertis cum
congelatis ? » Et statim respondet : « Demonstraturi
sunt impactionem societatum humanarum in clima
orbis terrarum ». Hoc modo populus expeditionis

expensa facilius comprobabit. Sed re vera expeditionis
promotores tantum compelluntur curiositate
scientificæ ; studere volunt biologiæ marinæ, præsertim
algis, glaciologiæ, chemiæ atmosphæræ, astrophysicæ
et geologiæ.

¶ Contra, societas commerciales et præcipue petrolea-
riæ, quæ maximum quæstum faciunt e sumptuosis
populi consuetudinibus, emunt scientificos et diurna-
rios, qui publicationibus negent Terræ calefactionem.
¶ Quæ cum ita sint, quid censendum est de ipsis fonti-
bus scientificis ? Imprimis recordemur oportet scientiam
hodiernam non proponere veritatem certam, sed
tantum summan mutabilem observationum incomple-
tarum. Grex Internationalis Specialistarum (Fr.
« Groupe Intergouvernemental d'Experts sur l'Évolu-
tion du Climat » ; Angl. « Intergovernmental Panel on
Climate Change ») in climatis mutationem incumbit
atque e novissimis symbolis scientificis summam colligit.
Eorum sententia, temperatura Terræ nostris tempo-
ribus augetur propter phænomenum, quod vocant
« effectum clausi vitrei ». ¶ Qui est iste effectus ? Solis
radii facile transeunt vitrum ; ergo non impediuntur
quin solum calefaciant in subvitreo, sed calor soli, cum
vicissim sursum radiat, vitro reflectitur ad solum et
sub vitro manet ; quamobrem temperatura maior fit in
clauso vitreo, quam extra. Quædam gasa in atmosphæ-
ra idem valent ac vitrum : sinunt solis radios transire,
sed reflectunt caloris radios, quos solum remittit.
Complura gasa hunc effectum participare videntur.

¶ Quid satis certi de his gasis a scientificis observatum
est ?

1. Carbonum dioxydum (CO_2) primum denuntiari solet ; eius portio in atmosphæra, intra duo sæcula
semis, tertia parte aucta est ; numquam tanta copia
huius gasi in atmosphæra fuit iam inde ab 650 milibus
annorum. Hoc detectum est anno 2005 in glacie
volumine, quod extractum est e profundissima crusta
glaciali Groenlandiam operiente. Dicunt tres quadrantes
huius gasi copiæ oriri e combustione fomitum fossilium.
2. Deinde citatur methanum (CH_4), cuius portio in
atmosphæra intra idem tempus quindecim centesimos
partibus aucta est ; dicunt dimidiā partem huius gasi
originem humanam habere, sed in hac parte includun-
tur inter alia pedita vaccarum, cum earum lacte et carne
vescantur homines. Modo stupens legi omissam esse in
ratione ingentem methani copiam e silvis ortam !
3. Postea etiam insimulatur protoxydum azoti (N_2O),
cuius portio in atmosphæra septemdecim centesimos
partibus aucta est.

4. Sed præcipuum gasum effectum clausi vitrei gignens est vapor aquarius, cuius tamen modus agendi adhuc vix intellegitur ; nubes videntur effectum clausi vitrei augere, si altæ sunt, sed minuere si sunt humiliores.

¶ Grex doctorum invenit medium temperaturam superficialem Terræ auctam esse sex decimis partibus (6/10) gradus intra sesquisæculum. Notandum est differentiam temperaturæ inter ætates glaciales et interglaciales numquam excessisse 6 gradus.

¶ Quibus observationibus comprobatur incrementum temperaturæ superficialis Terræ ?

1. Superficies nivosa decima parte minuta est inde ab anno 1970.

2. Libra maris altior facta est decem vigintive centimetris intra unum sæculum.

3. Flumina glacialia ubique liquefiunt, non tamen in Nova Zelandia, nec in Scandinavia. Præterea notandum est inter annos 1954 et 1981 flumina glacialia in Alpibus non recessisse, sed contra progressa esse, quamquam temperatura Terræ tunc crescere non desiit. Ceterum, ante tria milia annorum et quingentos, Alpestria flumina glacialia eiusdem longitudinis erant ac nunc.

4. In Groenlandia glacies litoralis liquefit et eius ora recedit.

5. In continente Antarctica crassitudo glaciei minuitur in parte occidentali, sed augetur in parte orientali.

6. Multi homines credunt tempestates verticosas, cyclona vocatas, quæ his proximis annis vehementiores solito fuerunt, explicari posse incremento temperaturæ ; scientifici tamen eas habent ut variationes intra solitos limites.

¶ Suntne aliæ causæ, præter effectum clausi vitrei, quibus temperaturæ incrementum explicari possit ?

¶ Actio solis videtur esse magni momenti. Non est constans ; notæ sunt cyclicæ variationes, quarum intercapelines sunt multorum milium annorum ; eæ pendunt a variatione distantiae inter Solem et Terram et explicant vices ætatum glacialium et interglacialium. Sed sunt etiam minores variationes, quæ prævideri non possunt, cum pendeant a mutabilibus viribus Solis radiorum. Propter has variationes, exempli gratia, parvam ætatem glacialem habuimus inter annos 1500 et 1850. Scientifici tamen earum momentum in climate nostræ ætatis nondum valent æstimare. ¶ Ad summam, tot tantique errores sunt in æstimationibus scientificis, ut certo dici non possit quanti momenti sint humanæ actiones in climatis mutatione. Nescimus

re vera quantum clima pendeat a portione carbonei dioxydati in atmosphæra. Verbi gratia, inter annos 1940 et 1970 temperatura Terræ minuta est, quamquam portio carbonei dioxydati continenter augebatur. Quæcum ita sint, Protocollum Kyotense, quo decretum est emisiones carbonei dioxydati minuendas esse, fortasse maioris pretii constabit, quam societas humanas ad temperaturæ incrementum aptare. ¶ Et si re vera Terra calefit, quales possunt esse effectus ? ¶ Fatendum est neminem hos effectus prævidere posse. Regiones sub Sahara sitæ (*Sabæ*) videntur iterum virescere. Fieri etiam potest ut præter incrementum generale temperaturæ, subito frigidiores fiant terræ in hemisphæra septentrionali. Circa polum Arcticum, si glacies liquefieri pergit, novæ viae maritimæ multo breviores patefient inter veterem et novam continentem. Ad talem occasionem arripiendam, Canada iterum armat minimum portum *Churchill* in sinu Hudsonio situm et Russia portum *Murmansk*, iam satis amplum ; nemo tamen censem transitum maritimum, qui vocatur septentrionalis occidentalisque, a glacie liberatum iri ante viginti annos. Si magnam partem liquefiet oceani Arcticæ glacies, accessus commodus dabitur ad novos petroli fontes ; sunt civitates et magnaæ societates, quæ iam cogitent de futuro quæstu ibi faciendo. Piscatus etiam augebitur et navigationes periegeticæ in regionibus Arcticis institui poterunt... ☩

Gaius LICOPPE

DE EQVITVM ORTV AC FACINORIBVS

- *scripsit Gaius Licoppe* -

Equi, antequam ab hominibus mansueti sunt, indo-miti gregatim vagabantur in steppis¹ Europæ Asiæque. Steppa est immensa planities, ubi tantum crescent herbæ; nulla arbor, ne arbuscula quidem adspicitur. Venti vehementissimi sunt. Æstate sol ardentissimus, hieme frigus glaciale et nix frequens. Huiusmodi planities patet in longitudinem quinque milia chiliometrorum et sescenta ab Hungaria usque ad Mantsuriam in extrema Asia sitam.

Ex tot indomitis equis, qui per steppam olim vagabantur, tantum nonnulli centeni supersunt, quos Russus explorator Przewalski undevicesimo saeculo in media Sibiria invenit; immutati erant a tempore, quo in nonnullis Europæ speluncis delineati sunt, i.e. ante viginti circiter milia annorum.



Scytha fingitur hoc aureo ornamento quarto saeculo a.Chr.n. confecto, quod in Chersoneso Taurica est inventum.

In Russia meridionali iam tribus milibus annorum a.Chr.n. homines coeperunt hos equos capere et domare. Incolæ, tunc in vicis iuxta rivos vitam degentes, cibum petebant ex agricultura et pastione. Imprimis equos paverunt tantum ut eorum carne, corio et lacte fruerentur. Equæ lac magni æstimabant propter potionem fermentatam, quam ex eo faciebant; ultimi Sibiræ nomades adhuc delectantur hac potionem, quam « kumis » vocant.

Ibi primum homines valuerunt equos descendere artemque equitationis invenire. Inde magna mutatio facta est apud has gentes; partim enim incolæ vitam sedentariam reliquerunt et, nomades facti, libere per steppas vagari coeperunt, victimum petentes e gregibus suis, quos decursu anni temporum ducebant de pascuis in pascua. Pro domibus habebant coactilia tentoria, quæ sedibus facile movebantur. Hic novus vivendi


modus, e Russia meridionali oriundus, celeriter assumptus est a Sibircis gentibus usque ad Sinas.

Equites celeritate longe superabant pedites, quin etiam, excelsi cum essent, eos despicere coeperunt; sollertes sagittarii facti, non solum suos populares agricultores in servitudinem redegerunt, sed etiam vastatorias incursions facere incepserunt in exultas civitates meridionales.

Primi horum equitum, quorum historia nomen retinet, sunt Scythæ in steppis Russiæ meridionalis vagantes. Hi vicini erant Græcarum coloniarum Ponti Euxini, quarum artifices pro eis sumptuosa ornamenta aurea argenteaque fabricabant.

Herodotus, cum quinto saeculo a.Ch.n. has colonias visitaret, multa comperit de Scytharum moribus, quæ in suis Historiæ libris conscripsit. Haec portentosæ narrationes vix credibiles essent, nisi recentioribus inventis archæologicis essent confirmatae. Scythæ, narrat Herodotus, cum rex diem supremum obiit, magnam fossam quadratam effodiunt, ad quam cadaver ræda vectum ducunt; id ibi sepeliunt una cum concubina, pincerna, coquo, agasone, famulo, tabellarioque rite suffocatis et cum multis equis aureisque poculis. Quo facto supra fossam tumulum erigunt. Complures huiusmodi tumulos integros exploraverunt archæologi.

Incredibiliter feri erant Scytharum mores. Cum Scytha suum primum hominem trucidat, de eius sanguine bibit. Capita omnium, quos in proelio necat, regi porrigit, quod nisi facit, prædam non participat. Eadem capita hoc modo tractat: cute supra aures circumcisa, vertex cum crinibus evellit, de quo carnis reliquias eredit; quo plura huiusmodi spolia ad equi habenas alligantur, eo fortior habetur Scytha. Res mira, permultis saeculis post, Amerindi, qui Herodotum certe non



Scythica sepulta sub tumulo in Caucaso inventa.



Hæc est vetustissima equitis imago. Pertinet ad scenam prælii, quod in Ægypto factum est circa annum 1350 a.Ch.n. Notanda est inepta equitis positio.

legerant, eodem modo hostes « scalpebant ».

Apud excultiores gentes Proximi Orientis, cicures equi non apparuerunt ante annum circiter bismillesimum a.Ch.n. Ea ætate carri solebant a bobus vel onagris trahi, qui facile agi poterant anulo nasali. Equi contra, cum magis irritabiles sint, anulum nasalem non tolerant; itaque eis imponebatur fiscella, cui serius adiunctum est frenum, habenis alligatum.

Cicures equi atavis feris maiores validioresque facti sunt; cum celeriores essent quam boves et onagri, circa annum 1700 carros trahere cœperunt; etiam leviores velocioresque currus tunc fabricati sunt ad usum venatorium et bellicum.

Medio tamen secundo millennio nondum erant equites apud excultas gentes meridionales. Primæ equitis imagines inventæ sunt in Ægypto et in Græcia; pertinent ad tertium decimum sæculum a.Ch.n. atque equitem ostendunt in posteriore tergi parte inepte sedentem, ut fieri solet in onagro.

Septimo tantum sæculo a.Ch.n., Assyrii, primi inter populos sedentarios, artem bene equitandi a Scythis didicerunt, quibuscum pactum fecerant ad bellum una gerendum. Eques apud sedentarios quoque est novum hominis genus, id quod illustratur fictione centauri.

Stepparum tamen nomades in arte equitandi excultiores sedentarios longe præcellunt; nam tertio sæculo a.Ch.n. stapedas² iam adhibent, quas Romani semper ignoraverunt. Stapedæ in Persico Sassanidarum imperio tantum sexto sæculo p.Ch.n. apparent.

Apud præpotentes populos, ut fuerunt, inter alios, Hellenes, Romani et Sinenses, exercitus ex peditibus

præcipue constabant; equites pauciores erant et tantum adhibebantur ad hostem iam victum persequendum et exterminandum.

Quarto sæculo p.Ch.n. Persæ novum genus equitum creant, qui vocantur cataphractarii; iam non sunt leviter armati, sed contra et equites et equi lorica metallica toti proteguntur; tam terribilis est impetus horum gravium equitum, ut Romani etiam corpus cataphractariorum creare debeant. Cataphractarii apud populos sedentarios manebunt flos exercituum per totum Medium Ævum.

Interea in steppis equites non mutantur; leves et celeres, quia non loricati, tantum arcu utuntur in prælio. Eorum modus bellandi a tempore Scythurum immutatus manet. Ex improviso in hostem undique impetum faciunt; missis sagittis, equos convertunt et discedunt; nolunt enim prælium committere, sed iteratis impetibus exhauriunt vires hostium, qui, si possunt, recedunt, vel, si non, exterminantur.

Scythæ et eorum congeneres Sarmatæ utrique erant stirpis Indo-Europææ. Quasi similiter eodem tempore vivebant in extrema Asia, prope limites imperii Sinensis, Hunni stirpis Hunno-Mongolicæ. Sinenses, post magnam cladem ineunte secundo sæculo a.Ch.n. ab eis acceptam, ingentia moenia exstruere cœperunt ad nomades arcendos.

Propter varias res gestas, quas narrare hic non est locus, pars Hunnorum ad occidentem migravit. Exeunte quarto sæculo p.Ch.n. per Russiæ hodiernos fines irruptionem faciunt in Europam occidentalem, Attila duce. In Melissæ fasciculo 128 narravi, quomodo anno 451 Ætius eos e Gallia expulisset.

Postea in Europam vicissim irrumpunt Avari stirpis Mongolicæ, Bulgari stirpis Turcicæ et Hungari stirpis Finnicæ, sed illi non valent imperium Byzantium expugnare. Hunni extinguunt Hellenisticum regnum Bactrianæ in media Asia situm, sed nequeunt Sassanidarum imperium Persicum vincere, dum vivit, i.e. usque ad septimum sæculum cum Arabes eo potiuntur.

Turci Seljucidæ imprimis, deinde Othomani, etiam ex Asiae steppis orti, Arabes superant et postea imperium Byzantium extinguunt seque ei substituunt.

Summus tamen nomadum equitum impetus tertio decimo sæculo ortus est; hæc sunt eventa historica maximi momenti, sed in Europa occidentali vix nota, quia ea miraculose luem Mongolicam non est passa. Iuvenis quidam Mongolus anno 1203 potitur habenis Mongoliæ orientalis; vocatur Temudiin Tingis Khanus, quod nomen apud Europæos factum est « Gengis Khan ». Idem anno 1204 ceteros Mongolos

confederatos profligat ; eius candidum vexillum, novem caudis tauri Tibetan³ ornatum, fit vexillum omnium Turco-Mongolorum, qui eum anno 1206 in conventu generali proclamant « qaghan », i.e. Magnus Khanus eorum omnium, qui sub tentoriis coactilibus vivunt.

In hoc conventu, chamanus Köktchü magni momenti est ; eius potentia magica timorem in animos instillat ; dicitur enim in cælum ascendere equo cine-reo guttatoque vectus et cum spiritibus colloqui. Ille nuntiat Æternum Cælum Cæruleum (Tängri) Tingis Khanum consecravisse Magnum Khanum Universum. Hanc consecrationem Tingis Khanus habet ut suæ potentiae fundamentum ; se intitulat Magnum Khanum potentia et iusu Cæli Æterni. Hunc titulum servabunt eius successores ; invenitur, exempli gratia, in sigillo epistulæ, quam eius nepos Güyük ad papam Innocentium IV misit.

Summa Mongolorum divinitas Tängri sedem habet in monte Bourqan Qaldoun, ad fontes rivi Onon. Mongoli tamen prudenter volunt sibi conciliare alios Divinitatis magistros, ut sacerdotes nestorianos, magos taoïstas in Sinis, lamas Tibetanos, missionarios franciscanos et mollah mahumetanos. Inde quædam tolerantia religiosa ; tantum postea eorum posteri, mahumetani facti, intolerantes erunt.

Novum Tingis Khani imperium etiam eget administratione. Instrumenta cultus civilis, i.e. scripture et lingua officiorum, depromuntur a devictis Turcis Uigur ; lingua Mongolica ab eo tempore scribitur litteris Uigur. Leges (yassaq) etiam in conventu anni 1206 insituuntur et in codicem civilem et administrativum colliguntur. Hæ sunt leges severæ, quibus pax inter Mongolos instituitur, res omnino nova. Summum ædificium sociale occupat familia Tingis Khani, Familia Aurea vocata. Est societas aristocratica et feudalis. Mongolorum exercitus etiam ordinatus est modo aristocratico ; in fine Tingis Khani regni constat ex circiter 150 milibus equitum.

Tingis Khanus imperium Sinense primum aggreditur ; anno 1215 Pekinum obsidet et capit ; Mongoli per unum mensem incolas trucidant atque domos diripiunt incenduntque ; strues cadaverum in viis putrescit.

Anno 1220 in Sogdianam irrumpt, ubi Boukhara et Maracandam (Samarqand) expugnat, deinde Afghaniam, Khorâssân et Iraniam pervadit, ubi multi incolæ iam sunt mahumetani. Hoc fit cum solitis cædibus ; incolæ urbis Merv, postquam se reddiderunt, omnes iugulantur ; Tolui, Mongolorum exercitus dux, in sella aurata sedet, dum cædem contemplat : viri, feminæ et pueri separati et in greges distributi ad equitum turmas pro-



Hic eques Assyrius septimo saeculo a.Ch.n. in equo efficaciter sedet.

pelluntur, a quibus trucidantur. Præterea omnia monumenta cultus Arabo-Persici delentur, inter quæ mausoleum kalifæ Haroun al-Rachîd. Irania orientalis numquam se restituit post Mongolorum aggressionem.

Anno 1225 Tingis Khanus in Mongoliam reddit, sed eius optimi legati, Djebe et Subotaï, Persiam vastare pergunt ; capiunt et delent Rey, unam ex urbibus capitibus, quæ postea numquam revivescat ; expugnant Qum, Chiitarum urbem sacram, Hamadan, Qazvin. Inde invadunt Georgiam, regnum christianum, et profligant eius equitatum, qui inter optimos sui temporis habetur.

In memoriam Tingis Khani, anno 1227 vita functi, eius filius Ogodai, Magnus Khanus factus, magnam cærimoniam cum sacrificiis facit. Quadraginta pulcherimæ puellæ e nobilibus familiis ortæ, lautas vestes et sumptuosa ornamenta gerentes, sacrificantur una cum multis equis ; nil mutatum a tempore Scytharum ! Mongolis vita humana est nullius pretii ; omnino nesciunt quid sit vita sedentiariorum, conspernunt agriculturam urbanasque vitæ condiciones.

Pax Mongolica, etsi summa inhumanitate ferocitateque imposita, tamen efficit ut viatores per immensum imperium sine periculo neque nimia molestia itinerari possent. Occidentales viatores laudaverunt optimam imperii ordinationem.

Anno 1236 centum quinquaginta milia equitum Mongolorum irrumpt in Europam. Imprimis delent regnum Turicum Bulgarorum. Deinde aggrediuntur feros in cultosque Turcos, qui vagantur in steppis Russiæ meridionalis. Pars eorum se Mongolis submitit, quæ postea fiet Khanatus Hordæ⁴ Aureæ. Postea Mongoli aggrediuntur principatus Russicos eosque

devincunt ; Moscua capitur et diripitur anno 1238,
Kiova (Kiev) anno 1240.

Mense Februario anni 1241 Mongoli transeunt
Vistulam in glacie ambulantes, profligant Polonus et
incidentur Cracoviam. Inde petunt Moraviam, quam
populantur.

Eodem tempore alius Mongolorum exercitus invadit Hungariam, vincit regem Bela IV et incendit Pest.
Ubique atrociter se gerunt, ut narratur in « Rogerii carmine miserabili ». Mongolorum antesignani perveniunt usque Neustadt, prope Vindobonam...

Numquam exstitit tam amplum imperium quam
Mongolorum ; quod præter steppas ab Hungaria usque
ad extremam Asiam orientalem patentes etiam includebat Sinas et Persiam.

Magis magisque appropinquante lue Mongolica, ingens terror crescit in Occidente ; quare anno 1244 papa Innocentius IV ad Mongolos mittit franciscanos Iohannem de Plano Carpini et Ascelinum Cremonensem. Anno 1246 Iohanni de Plano Carpini contingit electioni Guyuk interesse, de qua accuratam relationem facit. Traditis papæ litteris, Magnus Khanus Guyuk, Ogodai filius, irascitur. Eius responsum servatur in archivio Vaticano ; Guyuk, quamquam nestorianis favet, minatur christianos occidentales ; iubet enim papam et principes christianos apud se venire ad reverentiam præstandam. Magnus Khanus dicit potentiam suam esse iuris divini ; loquitur nomine Cæli Æterni (Mongka Tängri), quod est religionum summus arbiter.

Ascelinus autem in Persia convenit Mongolorum ducem, cui suadere conatur ut Mongoli una cum Francis aggrediantur califatum Bagdadensem ; Ludovicus IX, rex Francogalliæ, cruciatam expeditiōnem tunc dicit et anno 1249 stationem Cypri facit, Ægyptum aggressurus. Idem, plerumque sanctus Ludovicus vocatus, eodem tempore legatos ad Magnum Khanum mittit, duce dominicano Andrea de Longjumeau ; qui post Guyuk mortem illuc advenit atque ab eius vidua affabiliter accipitur ; responsum tamen est superbum : ea enim iubet regem Francogalliæ se habere ut vassalum imperii Mongolorum.

Ludovicus IX post cladem anno 1250 in Ægypto acceptam, ab hostibus captus, deinde redemptus, usque annum 1254 in Palæstina manet. Interea statuit novam legationem ad Magnum Khanum mittere ; itaque anno 1253 proficisciatur franciscanus Villelmus de Rubrouck una cum Bartholomæo Cremonensi, qui frustra conantur khanum ad christianismum convertere aut cum eo pactum contra mahometanos pangere ; Villelmus miram relationem sui itineris facit, historicis perutilem

ad noscendos mores Mongolicos.

Guyuk, qui in animo habet totam christianitatem in dicionem suam redigere, duobus annis post suam electionem moritur. Mongka Magnus Khanus proclamat sed tantum post tres annos, quia invidiæ et odia in frequenti Tingis Khani progenie iam oriuntur ; solum ob has fortuitas causas Europa Occidentalis Mongolorum furiam effugit.

Hulagu, Mongkæ frater minor natu, pro eo Persiam regit. Imprimis Assassinorum arces Meimoundiz et Alamout expugnat eorumque summum magistrum trucidat. Deinde sultanatum Abbassidarum olim potentissimum aggreditur et anno 1258 Bagdatum capit ; incolæ trucidantur, præter christianos, potentibus Hulagu uxore et matre, ambabus nestorianis. Urbs incenditur, ipse califa necatur et sepulcra Abbassidarum delentur.

Islam tunc iacet, ut numquam antea ; christiani orientales exsultant : eis est finis tyrannidis mahometanæ, quam 647 annos passi sunt.

Viceregi Hulagu etiam mandatur ut Syria et Ægypto potiatur ; hanc expeditionem una cum Armeniæ rege Hethoum suscipit ; nam Armeniæ Mongolis non restiterunt et eorum vassali et socii facti sunt. Etiam iuvantibus Francis principatus Antiochiæ, Hulagu Syriam intrat et Berœam (Alep), Naplouse et Damascum expugnat ; in eo est ut Hierosolyma capiat, cum, nuntiata morte Magni Khani Mongkæ, in Mongoliā redit de successione curaturus.

Non omnes Mongolorum duces christianis favent ; inter alios, Khanus Hordæ Aureæ in Russia strenuus mahometanus est atque consobrinum suum Hulagu reprehendit quod mahometanos in Syria trucidat. Christiani vero sibi ipsis maximo detimento sunt. Franci enim oppidorum littoralium, Aces (St Jean d'Acres) præcipue, consociari nolunt cum barbaris Mongolis ; non solum eorum reliquum parvumque exercitum aggrediuntur, sed auxilium ab Ægyptiis Mamelukis petunt ad Mongolos expellendos. Quo facto dominatio mahometana in Syria restituitur !

Mongkæ successio non fit tradito more ; duo Mongkæ fratres se Magnum Khanum proclamant, unde oritur bellum civile. Kubilai victor redit in Sinas, quas iam antea expugnare cooperat, et anno 1279 imperium Sinense Song extinguit ; tunc primum Sinæ totæ sunt in dicione Turco-Mongolorum.

Kubilai tamen iam non est verus eques vagans ut fuit avus Tingis Khan. Mores Sinenses adoptat et novam Sinensem dynastiam, Yuan nomine, inaugurat. Iuxta Pekinum sibi exstremadam curat urbem caput, Khanbaligh (i.e. urbs Khani) vocatam ; quod nomen factum est « Cambaluc » apud viatores occidentales.

Hæc urbs tunc est caput mundi a Sinis usque ad Euphratam et Danuvium.

In urbem Cambaluc pervenient mercatores Veneti Nicolaus et Maffeus Polo, quos Kubilai affabiliter recipit ; ab eis petit ut post redditum papam adeant rogentque ut centum doctos occidentales ad eum mittat. Pauci re vera veniunt ; inter eos anno 1292 advenit Iohannes de Montecorvino, quem papa Clemens V archiepiscopum creat : hæc sunt cunabula ecclesiæ catholicæ Sinensis.

Fratres Polo una cum Marco, Nicolai filio, alterum iter suscipiunt atque anno 1275 ad Kubilai pervenient, cui epistulam papæ Gregorii X tradunt. In pernota itineris narratione, Marcus Polo Kubilai habet ut potentissimum virum totius orbis terrarum (eum Francogallice vocat « le grand Sire »).

Ultimus e præcipuis sanguinariis Asiæ ducibus est Turcus, qui quarto decimo sæculo sævit ; ille, Timur Lenk vocatus (unde Fr. Tamerlan), quo significatur Timur Claudus, parvum feudum trans flumen Oxum (Amou Daria) initio regit atque vassalus est Mongolorum. Ingenio, perfidia crudelitateque eius potentia celeriter crescit.

Irania imprimis potitur, ubi fiunt ingentes cædes : turres ædificantur captivos vivos struendo ; abscissis incolarum capitibus eriguntur ingentes pyramides ; opera ingeniose instructa ad terras arabiles irrigandas systematice delentur.

Idem postea Russiam invadit, ubi Mongolos Hordæ Aureæ profligat et in dicionem suam redigit. Timur Claudus etiam est fanaticus mahometanus, qui victos ad suam religionem convertere vult. Irrumpit in christianas Russiæ regiones, ubi urbes diripit et Moscuam anno 1382 incendit ; Moscovia unum sæculum manebit in mahometanorum dicione.

Postea expeditionem vastatoriam facit in Indianum septentrionalem, ubi Delium (Delhi) anno 1398 capit et diripit ; centum milia captivorum hinduistarum trucidari iubet.

Nemo iam cum Timur Claudio contendere potest, præter Othomanum sultuman Bayezid (Bajazet), qui Constantinopolis expugnationem tunc parat. Alter alterum ad pugnam provocat et ingens proelium anno 1402 committitur prope Ancyram (Ankara). Bayezid victus et captus paulo post moritur. Sic factum est ut Constantinopolis usque annum 1453 maneret Græca...

Instat tandem finis ferocium equitum. Inde a quinto decimo sæculo apud sedentarios arma ignivoma magis magisque efficacia fabricantur, quibus equites cæduntur antequam sagittam mittere possint ; clades diu acceptæ eis redduntur. Initium facit princeps

Moscoviæ Ivanus IV, Terribilis cognominatus. Medio sexto decimo sæculo eius exercitus, cannonibus instructus, reliquos Russiæ khanatus expugnat ; viri trucidantur, feminæ et pueri in servitudinem rediguntur. Anno 1581 Russorum arma primum transgreduntur montes Urales et steppas Sibiricas invadunt, quibus intra unum sæculum potiuntur usque ad oceanum Pacificum. Pauci nomades, qui supersunt, facti sunt impotentes... ☩



*Imago Tingis Khani in Sinis facta
et in Pekinensi domo regia adbuc servata.*

1. Steppa, -æ : inutile, meo sensu, est vocabulum antiquum exquirere, quod cum re a Romanis ignota vix congruere possit ; *tesca*, -orum propositum est, sed cum re non plane congruit et vix intellegitur. Hæ infinitæ herbidæque planities, quales patent in Russia et Sibira, *stepa* a Russis vocantur. Hoc vocabulum Russicum in omnes linguis modernas assumptum est, non est ergo causa cur idem Latine non faciamus.

2. Stapeda, -æ vel stapes, -edis non est vocabulum antiquum ; nam equites Romani numquam noverunt hos anulos ab equi sella pendentes, in quos eques pedes insinuat quo stabilius in equo sedeat. Stepparum vero equites nomades hoc adiumento iam tertio sæculo a.Chr.n. maximo cum emolumento utebantur.

3. Vulgo *yack*.

4. Horda, -æ (Fr. *bordé*) est vocabulum origine Tataricum, i.e. stirpis Turcicæ, quo significatur turba hominum vastationem inferentium.

IN TARTARIAM (I)

- *scripsit Francisca Deraedt -*

Quis primus Tartariam invenit? Scilicet Marcus Paulus Venetus! plerique una voce respondebunt. Mirum est, quomodo nonnulli ceteris clariores maneant in memoriis, cum antecessores eorum, qui eadem pluribus difficultatibus iam antea suscepserunt, in umbram recesserint. Nuper mihi licuit historiam legere cuiusdam monachi franciscani, nomine Wilhem van Rubroek, sive Guillaume de Rubrouck, sive Rubruquis, sive, ut legitur in editione quæ mihi est in manu¹, Guillelmus de Rubruc, qui sua sponte, sed litteris Ludovici IX præditus, anno 1253 profectus est religionem christianam in Tartariam portaturus. Narratio huius duorum annorum itineris, quam rege petente ipse conscripsit, ad nos usque pervenit, eamque tibi, bone lector, in his proximis fasciculis proponam.

Nec Guillelmus de Rubruc primus Europæus fuit, qui illas lustraret regiones. Iohannes enim de Plano Carpini, et ipse franciscanus, octo annis ante a Papa Innocentio IV iam missus erat ad aulam Magni Chani, quocum de pace tractaret.

Mongoli enim initio tertii decimi sæculi occidentem terrant. Eorum princeps Temudjin, qui nomen sibi dedit Chingis Chan², id est Imperator Inflexibilis, vir dominationis potentiaque avidissimus, exercitum suum quoquaversus ducit, ubique serens desolationem, luctum, mortem. Europæi perterriti rumorem accipiunt Tartarorum³ crudelitatis. Fama fert eos in ollas ferentes proiicere populos devictos. Bukhara expugnata, Chingis Chan in magnam meschitam intrat equo sedens, pulpitum ascendit et fidelibus nuntiat se esse flagellum ab Allah missum ut eorum crimina castiget, simulque doctores legis iubet cibum equis afferre in capsis, quibus Coranum continetur⁴. Urbs tota comburitur, eius incolæ venduntur tamquam armenta. Postea Maracandam (Samarkand) expetunt. Incolæ, ceterorum experientia docti, se statim dedunt, sine pœlio. Inutiliter: triginta milia hominum trucidantur. Urbes una post alteram funditus delentur. Hic non solum homines, sed etiam canes et feles interficiuntur. Illic ventres mulierum gravidarum aperiuntur. Alibi auditur multos incolas vitam servasse sese inter cadavera celantes; itaque Chingis Chan omnia corpora detrunca-ri iubet, securitatis causa. Capitibus formantur pyra-mides, nec infabre, sed artificiose: nam separatim coa-cervantur capita virorum, mulierum et infantium. Relictis urbibus, aliqua manus militum aliquantis per moratur redditumque exspectat eorum, qui se in latebris absconderunt. Ad inexpugnabiles civitates capiendas rationem habent efficacem: captivos ponunt in prima acie. In aliqua pugna nepos Chingis Chan occiditur; mater est consolanda; itaque omnes incolæ illius urbis,

quæ fuit Bamian in Afgania, miserandæ matri tradun-tur et in eius conspectu trucidantur – quod eius luctui aliquantulum est solacio. At Chingis Chan non est ceteris magis immortalis; cum urbem Ningham (in Sinis) obsideat, finem vitaæ paulatim instare sentit; tum cupid omnes urbis incolas supra sepulcrum suum necari; quæ ultima voluntas fideliter expletur.

Filius se patre præbet dignum. Kiovia (Kiev) multæque aliæ civitates destruuntur. Mongoli appro-pinquant. Anno 1241, iam iam castra ponunt ad portas Vindobonæ. Eam tamen inopinato relinquunt domumque redeunt, mortuo Chano Ogodaï, ad novum principem eligendum. Interea occidentales duces tan-dem aliquando cogitant de hoste repellendo.

Itaque Lugduni anno 1245 instituitur concilium, cuius argumentum est « remedium contra Tartaros ». Agitur de regibus Europæis contra Mongolum pericu-lum consociandis, de ærario militari constituendo deque missionaris mittendis, qui istos paganos ad christianam religionem convertant.

Papa Innocentius IV tum statuit ad Mongolorum magnum Chanum mittere legatum, qui de pace tractet. Quattuor mittuntur legationes, quarum præcipuum dicit Iohannes de Plano Carpini, franciscanus ex urbe Perusia oriundus, sexaginta fere annos natus, qui dici-tur esse negotia transigendi peritissimus. Alii præest Ascelinus Cremonensis, dominicanus, sed hoc incep-tum est frustra, cum monachus se parum flexibilem præbuerit, dona non dederit recusaveritque coram principe pagano genu flectere; Mongoli eum pæne interficiunt, denique domum remittunt.

Tales legationes diversos habent fines. Imprimis inspicienda sunt Mongolorum rationes, vires et infirmitates; eis etiam dissuadendum est ne occidentem invadere pergent, ac potius suadendum ut communem hostem, mahumetanos scilicet, una cum Europæis debellent; sunt, certe, ad religionem christianam convertendi, similiterque nestoriani, qui illo tempore permulti vivunt in Asia, ex errore in rectam viam reducendi. Nec occasio prætermittitur novas vias et regiones inveniendi.

Post papales legatos etiam proficiscuntur nuntii a Ludovico IX rege Francogalliae missi: anno 1249 domi-nicanus Andreas de Longjumeau, anno autem 1253 nos-ter Guillelmus de Rubruc.

Hæ omnes legationes, sicut exspectandum erat, minus prospere succedunt; Mongoli enim tales non sunt, qui obœdiant, sed qui orbe terrarum potiantur; hoc putant esse Dei mandatum; itaque pro responso ingenue flagitant ut omnes se subiiciant sub imperii Mongolici potestatem. In eo tamen hæc itinera multum

proficiunt, quod homines, qui tertio decimo sæculo mundi habebant notionem satis artam, alias terras, alios homines, alios cultus inveniunt, de quibus ne somniare quidem antea potuerunt.

Certe iam antiquitus commercium iam fiebat inter Europam et Asiam atque serica, inter alia, ex oriente importabantur. Sed merces per tot transactores adferebantur, ut alii alios ignorantem, etiamsi quidam mercator Romanus fertur Sinas anno 166 attigisse. Medio Ævo leguntur Honorius Augustodunensis, Isidorus Hispalensis, Orosius et Beda Venerabilis, atque homines putant Europam esse umbilicum mundi. Nec soli sunt, qui talem persuasionem habeant: nonne Sinenses terram suam vocant « Imperium medium », Hebræi se profitentur « populum electum » et Græci « barbaros » vocant omnes, qui alia lingua loquuntur? Huiusmodi tranquilla certitudo novis terris inventis paulatim evertitur.

Iter in Tartariam non est iter voluptuarium. Mongoli tam sœve tamque crudeliter se gerunt, ut habeantur pro Satanæ cohortibus. Ut simplex monachus, qualis fuit Guillelmus de Rubruc, tam longam periculosamque peregrinationem suscipiat, oportet fide ardentí afflatusque divino impellatur. Quam animi inflammationem in editione, quæ mihi est præsto, auctor introductionis, et ipse franciscanus, verbis effert admiratione plenis: « Dici nequit labores eius fuisse vanos. Certum est Sartach, quem christianum esse dictabant, apostolatum in regnum suum ei denegasse, immo nec eum recipere voluisse; nihilominus hoc remanet, quod Guillelmus, ubicumque iverit, bonum semen Euangelii in terram misit, sex personas aqua baptismali lustravit, sacramenta die paschatis administravit, necnon unum ex præcipuis sacerdotibus nestorianis convertere potuit. »⁵ Sex homines baptizatos: longum iter, pro tam parvo effectu.

Quis autem est ille religionis propugnator, qui sœvissimos barbaros non timet adire propter causam Dei defendendam? Guillelmus natus est in pago nomine Rubruc, in Gallia, prope Castellum Morinorum (Cassel), inter annos 1215-1230. De eius iuventute, de condicionibus quibus in ordinem franciscanorum intravit, nihil scimus. Videtur Parisiis commoratus esse antequam profectus est in orientem, nam terras alienas describens multa loca cum hac urbe confert. Anno 1248 cum Ludovico IX in Terram Sanctam proficisciuit, inde anno 1253 discedit Tartariam petiturus. Anno 1255 reversus ab ordine suo mittitur Accon (Saint Jean d'Acre), ubi itineris relationem conscribit mittitque ad Ludovicum IX, Parisios redeundi petens veniam. Quæ ei datur. Deinde cum Rogero Bacon Anglo philosopho

eodemque etiam franciscano, messem suam geographi- cam communicat. Quid postea fecerit, quando, ubi, quomodo vitam finiverit, nescitur.

Cum paucissima de Guillelmi de Rubruc vita sint monumenta, multa tamen comperta habemus de eius itinere, cuius relatio usque ad nostra tempora servata est. Ergo monachus noster die 7 m. Maii a. 1253 Constantinopolin reliquit. Die 21 m. Iunii appulit Soldaiam (Sudak in Chersoneso Taurica). Quam civitatem paucis diebus post reliquit ad Tartaros perrecturus. Die 31 m. Iulii pervenit ad castra ducis exercitus, qui vocabatur Sartach. Tunc putavit se finem itineris attigisse. At ille eum ad patrem suum Batu misit, a quo licentiam peteret in illis regionibus manendi. Batu autem eum ad Mangu, magnum Tartariæ Chanum, remisit. Multis superatis periculis Guillelmus illuc tandem pervenit die 27 m. Decembris, et veniam pauplisper manendi obtinuit. Die 5 m. Aprilis a. 1254 Karakorum petivit una cum aula magni Chani. De hac regione mense Iulio ineunte decessit atque eadem fere via ad Batu revertit, unde per Georgiam et Armeniam pervenit ad portum Curcam in Anatolia, die 5 mensis Maii. Monachus noster inde Cyprum, postea Antiochiam appulit. Tripolim etiam invisit, unde Accon missus est ut iam dictum est.

Hæc hactenus hodie. Proxima occasione narratio- nem Guillelmi de Rubruc aggrediemur, videbimusque quibus oculis, tertio decimo sæculo, missionarius res alienas viderit, regiones, populos, mores religionesque. ■

1. *Sinica Franciscana*, Vol. I, *Itinera et relationes Fratrum Minorum sæculi XII et XIV*, ed. A. Van den Wyngært, Firenze, Quaracchi, 1929.

2. Hæc est orthographia in opere laudato adhibita. Alibi etiam invenitur forma « Tingis Khanus ».

3. Mongoli re vera nolunt vocari Tartari; nam nomen « Tatar », deformatum in « Tartarum », designat populum Turcicæ stirpis, qui undecimo sæculo vagabatur in Mongolia orientali. Hi Mongolorum hostes anno 1202 profligati sunt a Chingis Chan. Qui, cum eorum eximiam crudelitatem videret, eos adhibuit ut antesignanos; atque sic factum est ut sedentarii Mongolos etiam vocarent Tartaros. Decursu bellorum sedem collocaverunt ubi adhuc sunt, i.e. ad Rham (Volga) et in Taurica Chersonesa (Crimée).

4. *Op. cit.* p. LIV sqq.

5. *Op. cit.* p. LXVI.

CAROLI DE COMITIBVS, POETÆ ROMANI, QVI CATVLLVM SÆCVLO XVII EST IMITATVS, CARMINA EDITA ATQVE INEDITA (I)

- quæ proposuit *Theodericus Sacré* -

In litteras Latinas recentiores inquirenti sæpe accidere solet ut incidat in textus parum notos, quos dicendi veneribus insigniri ingenii luminibus splendere existimet, quos ab oblivione vindicare obidipsum velit, quorum scriptoribus, quo melius intelligi atque enarrari possint quæ illi scripserint, aliquam afferre cupiat lucem. Nil hic mirum, cum ingens sit eorum temporum litterarum copia, quæ asservantur adhuc atque in bibliothecis custodiuntur; at, si eos prætermiseris scriptores, quorum est fama penitus oblitterata numquam, qui per ora virorum semper volitaverunt sive vivi sive semivivi, eo fere in statu versari litteras recentiores fateberis, in quo Latinitatis mediæ versabantur litteræ, cum exeunte sæculo XVIII a neglectu diurno servari sunt coeptæ. Quod cum iam sæpe essem expertus, tum ante hos paucos menses moleste tuli, cum evolverem carminum quendam libellum, quem in manus forte sumpseram et ei non invenusti inerant versus iuxta Catulli exemplaria ad amissim facti. Nam quisnam ille fuerit qui scripserat mirabar; nomen equidem vidi quod præ se ferebat libellus; ab eodem poeta complures carminum libellos in lucem editos esse animadverti, quos omnes ex ordine deinceps legere statui, siquid inde erui posset quo virum in luce clariore collocare possem. At vix inde quicquam expiscatus, configui ad subsidia biographica, quæ fere extant innumerabilia; ea vero virum aut tacuerunt aut, si eius iniecerunt mentionem, summatim attigerunt atque id quidem ita, ut eos libellos, quos et ipse evolveram, enumerarent singulos, aut id tantum nuntiarent, virum floruisse in Urbe mediante sæculo septimo et decimo; quod me ipsum docuerant opusculorum typis excusorum tituli. Omni ergo spe lapsus quid facerem? Sineremne ut in tenebris diutius iacerent poemata, quod ipse de scriptore plura comperire non valuissem? An lectorum risui obicerem me maledico carpentium dente, quod divulgandos curarem versus absque erudita præfatione, docta sine adnotatione? Id est autem mihi visum, propter ipsas virtutes venesque poeticas tam esse iucunda carmina quam quæ maxime, uti eis, quamvis apparatu eruditio carerent, frui dubio procul possent *Melissæ* legentes; nam et ipse nudos ut ita dicam versiculos legeram mihi probaveram. Ceterum iuvit accessionibus his locupletare commentationes et libros, quibus quæ fuerit apud recentiores poetas Catulli poetæ fortuna docte expositum est atque fuse. Namque Catullum Carolus ille præ ceteris imitando non infeliciter exprimebat. Eum vero omnes prætermiserunt viri docti qui de Catulli poetæ imitatoribus nostra scripserunt memoria.¹ Ad hunc enim diem investigatio docta circa poetas sæculi XV et

xvi in primis versata, penitus investigavit quomodo renatus esset Catullus una cum litteris Latinis renascientibus quibusve eum rationibus Iohannes Iovianus Pontanus² alive poetæ Itali et Francogallici pene adæquassent; at poetæ Veronensis fortunam penes Latinos poetas qui inde a sæculo XVI exeunte floruerunt nemo fere invenitur qui inquisiverit; eiusmodi autem imitatores et æmulos cum habuerit Catullus oppido multos, amplissima patet late provincia paulatim exploranda, in qua nova atque inaudita facile reperiet si quis eam obierit paulo diligentius.

« *de Comitibus (Carolus)*, ein römischer Poete, lebte 1650, und verfertigte unterschiedliche poetische Schriften. » Hæc de Carolo de Comitibus poeta hactenus Christianus ille Theophilus Jöcher, vir eruditus, quem consulere tum soleo, cum cetera doctorum opera spem meam destituerunt.³ Floruit ergo in Urbe poeta anno circiter 1650; nil amplius addunt qui virum attigerunt.⁴ Unum illud subiciam ipse, quod aulas ille magnorumque virorum domos frequentabat. Quæ res non est in dubio. Etenim non solum familiariter utebatur Henrico Chifellio Antverpiensi Belga, Barberinorum cliente ac professore Romano, qui eloquentiam in gymnasio Romano, quod a Sapientia accepit nomen, (ann. 1621-1656) tradebat cuique sua Carolus poemata perpolienda mittebat,⁵ sed etiam insinuaverat se in eorum consuetudines, qui Congregationi de propaganda fide prærerant. Itaque Aloysii Cardinalis Capponii, qui octo fere per annos (1645-1653) eiusdem congregationis propræfecti munere fungebatur,⁶ appetivit amicitiam; et ad Hyacinthum Libellum Dominicanum,⁷ cui in Collegio de propaganda fide præfectura demandata, versiculos misit; immo coniunctissimus, ni omnia fallunt, erat Dionysio Massario, eiusdem Congregationis secretario (1649-1657).⁸ Ceterum se immersit in consuetudinem familiaritatemque nobilissimæ familie von Dietrichstein (quam Adietrichstein nuncupare sueverat); nam soluta oratione vitas scripsit cum Francisci Cardinalis von Dietrichstein (1570-1636), quem ipse verbi divini præconem ineunte sæculo XVII Romæ et vidit et audivit, tum Adami von Dietrichstein (1527-1590), qui illum generat.⁹ Ceterum nil habeo quod addam, nisi quod anno circiter 1652 vivebat Caroli de Comitibus poetæ pater sedecim iam emensus vitæ lustra; soror autem et fratres complures vita tum erant functi.¹⁰

Restat ut carminum faciam delectum; quibus denuo editis spes est mihi, fore ut Caroli de Comitibus Musa pluribus innotescat arrideatque. Quem mihi

delectum paranti præsto fuere præter codices Vaticanos libelli hi, quos in variis bibliothecis Romanis repperram :

- Carolus de Comitibus Romanus, *Bellua septiceps ad Thomam Camottum S. Ord. Prædicatorum Theologiæ magistrum* (Romæ, 1653).
- Carolus de Comitibus Romanus, *Carmina ad Hyacinthum Libellum Ordinis Prædicatorum magistrum* (Romæ, 1652).
- Carolus de Comitibus Romanus, *Iesu Christi Domini nostri mors. Ad illustrissimam virginem Mariam Eleonoram Boncompagnam* (Romæ, 1652).
- Carolus de Comitibus Romanus, *Carmina. Ad illustriſſimos & excellentiſſimos Ferdinandum, et Maximilianum Adieterichſtein S.R.I. comites, & S.C. Maiestati a cubiculis* (Romæ, 1652) [= Carmina 1652].
- Carolus de Comitibus Romanus, *Vita Francisci Cardinalis et principis Adieterichſtein Marcomannorum episcopi. Ad illustrissimum, et excellentissimum D. Maximilianum Adieterichſtein, S.R.I. principem, et summum S.C.M. domui præfectum* (Romæ, 1652).
- Carolus de Comitibus Romanus, *Carmina. Ad Eminentiss. & Reverendiss. D. Aloysium S.R.E. Card. Capponium* (Romæ, 1650) [= Carmina 1650].

1. *Tulliola catella*¹¹

Tulliola erepta est tam bella catellula, quæ mi
mel erat et nectar deliciumque merum.
Credo illam in cælum isse atque eieccisse canem, qui
urere Phœbeis arva solet radiis.
Propter quam mecum Veneres luctu omnia complent
et languet posita tristis Amor pharetra.
Non illa horror erat silvarum, non metus ulli, at
suaviolum dulci dulcius ambrosia.
Ad dominum redeas exoptantique refer te,
exspuat ut mæsto e pectore amaritiem :
ille, inquam, dominus, cui tam cupide assiliebas
et cauda assueras delicias facere,
non potis est desiderium ferre unius horæ
momento ; gemini flumina sunt oculi.
Illiū luctus cor convulsit mihi ab imo
pectore. Ne, quæso, ne mala tot patere !
Rumpe moras omnes, rumpe omnia vincla, dabit vim
ille idem tristis, qui omnia vincit, amor.

2. *Catella*¹²

Lugete, hendecasyllabi quot estis,
lugete, hendecasyllabi : catella,
Pauli Trunci oculus meique lusus,
hic non insilit amplius iocansque
adulansque, sed ultimis in oris.
At mi si quis eam eripuit docetque
ubi sit, quo abeat, feret lucellum.
Est pusillula, crispula, uniones
pendent auriculis ; color nec ater
nec albus, sed uterque ; dulce latrat ;
meræ deliciæ, meri lepores
fluent undique ; tum decens supra quam
dici possit, ut elegans puella,
cui circumsiliunt Cupidinesque
Iocique et Veneres, salisque multum est.
O factum male ! Nuspiam catella
invenitur et uritur doletque
Paullus noster, ut uritur doletque
mater, si cadat unicum ruentis
domus subsidium, nec audit ullam
ah nimis misera allocutionem.

3. *[De Lampetie ad amicum]*¹³

Quod se turpiculo puella naso
et pætis oculis et ore hiante
iactat Lampetie venustiorem,
proh quam decipitur ! Nam ut omnia uni
adsint cetera (queis caret profecto !),
deest modestia, qua anteit tua omnes.

4. *Ad illustrissimum dominum Dionysium* *Mas[sarium]*¹⁴

Massari, pater elegantiarum,
meos versiculos rudi expolitos
ad te pumice mitterem libenter,
ni me distraherent tui lepores.
« Ad quem versiculos meos ? », ita inquam,
« Nil prorsus sapio ? » Licet me ineptum
ducas, hendecasyllabos trecentos
exspecta salibus Catullianis,
Massari, pater elegantiarum.

5. *Ad eundem*¹⁵

Massari optime, quem Latina Siren,
quem Graiae Charites solent vicissim
ad cælum lepido vocare versu,
vivet post obitum diu superstes
quem solent lepido vocare versu
dulces Mnemosynæ et Iovis puellæ.

6. *Ad Henricum Chifellum*¹⁶

Henricum lepidum et pium poetam
Musa candida Caroli salutat
primum, dein rogit illius libellum
ut legi iubeat sibi notetque
si quid forte rudi canit Minerva
(nullum enim putat esse in urbe tanta,
qui possit melius notare, si quid
non apte cadit, et velit monere
amicus, ut veteres decet sodales,
quos una atque eadem fides revinxit).
Obstringet sibi eum pius poeta
(si tamen pote) vinculo arctiori,
qui vati faciet poema pulchrum.
Hoc si ille imperat, interim valere
iubet, non sine dulcibus cachinnis.

7. *Ad Carolum Ornanum*¹⁷

Honestissime Romuli nepotum,
Ornane optime, quem novem puellæ,
tuæ deliciæ, tui lepores,
amant mollicule medullitusque,
scis quantum tibi debeam tuisque.
Quid ergo meritis tuis reponam?
Hoc, quod, sit licet oppido pusillum,
plus uno maneat perenne sæclo. ☺

1. Veluti W. Ludwig, ‘Catullus renatus – Anfänge und frühe Entwicklung des catullischen Stils in der neulateinischen Dichtung’, in Eod., *Litteræ neolatinæ. Schriften zur neulateinischen Literatur*. Hrsg. von L. Braun, W.-W. Ehlers, P.G. Schmidt, B. Seidensticker, Humanistische Bibliothek, 1, 35 (Monachi, 1988), pp. 162-194; M. Morrison, ‘Catullus in the Neo-Latin Poetry of France before 1550’, *Bibliothèque d’Humanisme et Renaissance*, 17 (1955), 365-394; M. von Albrecht, ‘Catull : ein Dichter mit europäischer Ausstrahlung’, *Gymnasium*, 106 (1999), 405-442; R. Poignault (ed.), *Présence de Catulle et des élégiaques latins. Actes du colloque tenu à Tours (28-30 novembre 2002)*. À Raymond Chevallier in memoriam, Cœsarodunum, XXXVI-XXXVII bis (Claromontii, 2005); ante omnes J. Haig Gaisser, *Catullus and His Renaissance Readers* (Oxonii, 1993).

2. Cfr. i.a. T. Baier (ed.), *Pontano und Catull*, NeoLatina, 4 (Tubingæ, 2003).

3. Chr. G. Jöcher, *Allgemeines Gelehrten-Lexikon* (...), 1 (Lipsiæ, 1750 = Hildesiae - Novi Eboraci, 1981), col. 2037.

4. Cfr. Prosper Mandosius, *Bibliotheca Romana seu Romanorum scriptorum centuriæ* (Romæ, 1682), cent. V, num. 5, pp. 283-284 : « (...) vir non indoctus, et versibus pangendis non ignobilis. (...) Vivebat anno 1650. »

5. De Henrico Chifellio vides quæ scripserunt J. IJsewijn in *Nationaal biografisch woordenboek*, 12 (Bruxellis, 1987), coll. 138-141, necnon Giovanni Rita, ‘Le discipline umanistiche da Sisto v a Clemente XII (1587-1740)’, in L. Capo - M.R. Di Simone (edd.), *Storia della Facoltà di Lettere e Filosofia di « La Sapienza »* (Romæ, 2000), pp. 245-304.

6. De Capponio (1583-1659) egit i.a. L. Osbat in *Dizionario biografico degli Italiani*, 19 (Romæ, 1976), pp. 67-69. Capponius inde ab anno 1649 erat Cardinalis bibliothecæ Vaticanae præfector, paucis ante annis alter a præfecto Congregationis de propaganda fide creatus, cui (ann. 1632-1671) præterat Antonius Card. Barberinus jr.

7. De Libello (+ 1684) scripsit i.a. Jöcher, *Lexikon*, 2, col. 2418.

8. Cfr. N. Kowalsky - J. Metzler, *Inventory of the Historical Archives of the Sacred Congregation for the Evangelization of Peoples or « De propaganda fide »*, Studia Urbaniana, 18 (Romæ, 1983), pp. 102 (de Antonio Cardinali Barberino et Aloysio Cardinali Capponio) et 104 (de Massario).

9. Cfr. *Neue deutsche Biographie*, 3 (Berolini, 1957), p. 701 (K. Elder de Francisco von Dietrichstein) et pp. 700-701 (A. Coreth de Adamo von Dietrichstein). Franciscum etiam attigit P. Wörster, *Humanismus in Olmütz. Landesbeschreibung, Stadtlob und Geschichtsschreibung in der ersten Hälfte des 16. Jahrhunderts*, Kultur- und geistesgeschichtliche Ostmitteleuropa-Studien, 5 (Marpurgi, 1994), pp. 16, 23, 147.

10. Cfr. *Carmina 1652*, pp. 11-12 : *Ad Carolum Ornanum*.

11. *Carmina 1650*, pp. 21-22 (nr. 40).

12. *Carmina 1652*, pp. 18-19. Hoc carmen (ut et superius) desideratur in A.M. Wilson, *An Anthology of Neo-Latin « Dog » Poems* (...) (Cheadle Hulme, 1998).

13. *Ib.*, p. 19.

14. *Carmina 1650*, p. 13 nr 34. De Massario vide adnot. 8.

15. *Carmina 1650*, p. 14 (nr. 35).

16. *Ib.*, pp. 31-32. De Chifellio cfr. adnot. 5.

17. *Carmina 1650*, p. 13. Ornanus ille mihi ignotus.

DE BENIAMINO FRANKLIN

— *scripsit Victorius Ciarrocchi* —

Etsi res gestæ ab Americanis non tam forsan colantur quam olim Europæi solebant, apud illos tamen mos viget posteris tradendi facta illustrium virorum, qui de Re publica bene sint meriti. Neque enim laudibus ineptis hoc anno 2006 apud Americanos memoria recolitur Beniamini Franklin.

Qui vir copioso ingenio et vivaci fuit præditus et Patriæ fortunas adeo iuvit, ut Civitatum Fœderatarum iure meritoque Pater etiamnunc existimetur. Bostoniæ, qua in urbe die 17 Ian. a. 1706 Beniaminus ortum habuit ex familia Anglicæ, quæ sæculo septimo decimo in Americam commigraverat ut Deum suo modo, i. e. secundum Puritanorum, qui dicuntur, doctrinas et mores veneraretur, primos adulescentiæ degit annos. Sed quoniam eius patri uxore orbato nutriendi erant alii quattuordecim liberi, studiorum curriculum scholasticum intermittere coactus est Beniaminus, qui in typographeo – seu in officina libris prelo excudendis, ut Latinus dicendum aliqui putant – Iacobi, fratri natu maioris, munus tam bene explere cœpit, ut anno 1721 in actis diurnis ab eodem typographeo editis epistulas quasdam exitu feliciore vulgaverit. Propter discordiam cum fratre ortam, in urbem Philadelphia se contulit ibique tantam eodem in munere explendo famam est adeptus, ut primus Pensilvaniæ typographus non sine ingenti mercede addita renuntiaretur.

Postquam in eorum sodalitatem, qui Liberi Structores sive Francomurarii dicuntur, ex anno 1731 adscitus erat, eandem omni ope fovere ac latius vulgare contendit, quia illius « sectæ » principia, quorum primus auctor sæculo decimo a. Chr. n. fuisse dicitur vir quidam, nomine Hiram Abi, Beniaminus animo suo suæque menti plane aptiora sensit. Multa nullis magistris adiuvantibus didicit, præsertim linguam Francogallicam, Hispanicam, Italicam (hæc tunc magis quam postea in usu erat), Latinam quoque. Anno circiter 1750 electricam vim eiusque proprietates investigare sollerte atque acute cœpit et illiusmodi investigationes libro c. t. *De electride experimenta et observationes* collegit atque ipsis fultus instrumentum illud fabricavit, quod ad fulmina avertenda etiamnunc alicubi adhibetur.

Cumque hoc de invento mentio facta sit, alia quoque instrumenta, quorum inventor fuit vir ille, memoratu sunt digna, veluti : perspicilla duplice vitro lenticulari instructa ; tubus caminis aptior, ut horum farina melius hauriretur ; quoddam hypocaustum « Frankliniano more » instructum ; pinnæ cummeæ natatoriae ; tubulus cummeus flexibilis idcircoque canalem urethram meabilior.

Primam universitatem ecclesiastico regimini non obnoxiam condidit utque valetudinarium publicum

ædificaretur suasor fuit aliaque multa incepta omnibus civibus utiliora fovit.

In Europam itinera fecit ; tredecim annos in Britannia commoratus est, primum sicut Americanarum curator coloniarum, postea, cum ipsæ e bello pro libertate adipiscenda gesto victrices evaserint, veluti Americanorum legatus. Neque hoc est mirum : si enim ob quasdam Britannorum leges asperiores atque Americanis invisas bellum hos inter et Britannos conflatum est, vincula tamen, quibus duo populi inter se coniuncti erant, numquam rupta sunt.

In Francogallia octo annos artem ad legatorum munus pertinentem adeo prudenter et callide exercuit Beniaminus, ut is regni illius moderatoribus persuaserit causas, quæ Americanos ad bellum gerendum adduxerant, iustas esse. Quare hi non modica auxilia ab Francogallis impetrarunt, non tamen profutura regno Francogallico id temporis prævalido, quoniam paucis annis elapsis Americanorum incepta haud pauci rerum Francogallicarum eversores imitari conati sunt.

Bellum igitur Britannos inter et Americanos cum exortum esset, in Patriam rediit Beniaminus eodemque anno 1776 in libertatis vindicandæ documento quodam exarando una cum aliis quinquaginta quattuor viris magnam egit partem. Eum in Francogalliam reversum maximis honoribus cumularunt plerique viri, quos inter et Franciscus Maria Arouet sive Voltairus. Hunc virum et Beniaminum interdum per Lutetiæ Parisiorum vias una ambulantes magna hominum cetera mirabunda prosequi solebat. Nam utrique pæne eadem erat indeoles ad facetias aphorismosque proferendos facilius, qua præsertim cives Parisienses delectabantur. Parisiis quoque amoris operam dedit Beniaminus, cui, etsi uxoratus, semper feminæ admodum placuerunt.

Qui anno 1785 Civitatis Pensilvaniæ præses creatus est et post duos annos legumlator curiæ illius, quæ Fœderatarum Americae Civitatum Septentrionalis fundamenta iuridica erat constitutura. Quibus in rebus decernendis sæpe Beniaminus consilia secutus est Caietani Filangieri (1752-1788) ; qui vir Neapolitanus, quocum ille Americanus epistularum commercium habuit, opus non spernendum *De legum scientia* conscripsit. Fuit igitur Franklin vir multis in rebus tractandis quam maxime versatus, sicut etiam ex eius innumeris patet scriptis, inter quæ eminet *Vita de se ipso* sive *Autobiographia*, in qua « pro dolor » – ut scripsit Carolus Izzo, litterarum Americanarum eximie peritus – « solum eæ vicissitudines narrantur, quæ usque ad annum 1759 acciderunt » (ex C. I. *Litterarum Americanarum historia*, Nuova Accademia, Milano, 1959, p. 120). « Libri autem, quos non sine quadam lau-

dabili diligentia composuit, eo animi impetu carent summi scriptoris proprio » (C. I., *op. laud.*, p. 124).

De Beniamino Franklin, qui die 17 Apr. 1790 Philadelphiæ mortuus est, Maldwyn(us) A. Jones, qui in universitate Londiniensi historiam docuit Americanorum, cum alia tum scripsit hæc : « In negotiis et inceptis et investigationibus perficiendis animum patefecit Beniaminus plane cum permultis ætatis illius 'illuministicæ', quam dicunt, principiis congruentem ; sed huius viri forma mentis ad 'utilitarismum' et 'pragmatismum' facilior et neglegentia quædam, qua erga scientiarum studium et indagationum philosophicarum is tenebatur, sunt revera Americanæ » (ex M. A. Jones opere, quod *De libertatis limitibus – Americanorum Historia, 1607-1980* inscribitur ; titulus Anglicus : *The Limits of Liberty – American History, 1607-1980* ; translatio Italica : *Storia degli Stati Uniti d'America*, Bompiani, Milano, 1984 ; locus citatus legitur in huius

editionis Italicæ pagina 32, sub capite hoc : « De Illuminismo Americano »).

Thomas Carlyle, Radulfus Emerson, alii scriptores in eo Beniaminum improbarunt, quod is fautor vitæ more nimis « materialistico » degendæ fuerit ; sed alii, quos inter Edmundus S. Morgan et Valtharius Isaacson, quibusdam in libris de viro illo Americano recens editis dicunt in eius mente animoque et aliquid procacitatis et aliquid beneficentiae insedisse ipsumque « pragmatismo », qui modus vivendi in Americanorum consuetudinibus profundiores habet radices, non immerito favisse. Interdum fortunis improsperis usus est Beniaminus, cui dolorem attulit non mediocrem Villelmus, eius filius, qui ab patris opinionibus politicas adeo discessit, ut Britannorum socius esse maluerit. Est Philadelphiæ statua quædam Beniaminum repræsentans, in qua versus legitur insculptus hic : « Eripuit cælo fulmen sceptrumque Tyrannis ». ♦♦

AQVILAM VOLARE DOCES adagium 398

NOVI LIBRI

T. Pekkanen, *Carmina viatoris*, Supplementa Humanistica Lovaniensia xix, Leuven University Press, 2005, 266 p. ISBN 90-5867-509-2

Aliquatenus incommodum est domicilium longe ab officii sede habere, at non semper omnino iniucundum. Nobis sic notus est choragus quidam, Andreas Robbe nomine, qui, cum Parisiis in theatro melodramatico laboraret singulisque diebus in tramine ferrivario binas degeret horas, hoc iter cottidianum studio linguae Latinæ dicavit sicque satis celeriter Latinitatem didicit, quam olim in schola ei non licuerat attingere.

Tuomo autem Pekkanen annis 1975-1999 Helsinki quidem vivebat, sed Granivici (Jyväskylä, media in Finnia) in studiorum universitate docebat. Inter utramque urbem iter tramine utentibus est quattuor fere horarum, horarum aliquatenus extra tempus positarum, quibus somniare licet, quiescere, legere, quibus linguae Latinæ professor usus est ad Latinos versus pangendos. Ex his carminibus iam pridem edita est *Kalevala Latina*, recentius *Carmina sacra* (vide Melissae fasciculum 118, p. 16), nunc autem *Carmina viatoris*, opus vere nominis sui. Nonne enim primum carmen inscribitur « In cursu ferrivario » ? Ita lector poetam paginatim sequitur in itineribus varias cogitationes versibus mandantem, narratiunculas, memorias, salutationes gratulationesque sive academicas sive privatas, auctorum variationes et versiones, egregia facilitate, maximo lepore.

Metrica adhibita est varia, ut in præfatione explicatur, sed magna pars est ratione rhythmica conscripta, quod nequaquam mirabuntur ei, quibus iam contigit sive opera Tuomonis Pekkanen legere sive eum de poesi disserentem auscultare. Et verum est hanc rationem hodiernis rebus exprimendis mirum in modum convenire. Ecce, lector, ut salivam tibi moveamus, flosculos e *Carminibus viatoris* excerptos.

Nostalgia (p. 23)

Granivici pernoctare,
institutum præsentare
die Iovis debeo,
tamen domum iam reverti
animus fert, hic inertis,
graviter eheu doleo !

Mensis fine (p. 43)

Mensis fine duas marcas
habui, quæ non plent arcas,
quantumcumque illis parcas.

Catulliana (Cat. 51, p. 132)

Ille par deo videtur,
ille par deo videtur,
ille par deo videtur,
qui te spectat identidem,

audit te ridentem,
audit te ridentem,
audit te ridentem,
identidem,

dulce te ridentem,
dulce te ridentem,
dulce te ridentem,
identidem.

Denique, cum in eo essemus ut Melissam prelo mandaremus, nobis a poeta missum est hoc novum carmen, quod in libro memorato nondum inest :

Omnis caro fenum ¹

Flos in agro Boreali
crevit tempore vernali,
matutinus floruit,
spirans petalis odorem,
dulcem præferens decorem
formam gratam præbuit;
in meridiem portatus
et in solem transplantatus
vespere disparuit,
sicut umbra declinatur,
fugit neque iam captatur,
penitus evanuit.

Mane floret flos et crescit,
cum fit vesper, iam languescit,
cadit, fragilis arescit
flante Dei flamine.

Manet memoria
florum fragrantium... ■

1. In memoriam Dominae Inna Anna-Leena Pekkanen, quæ domicilium in oppido Italiae Fabrica di Roma habuit ibique pridie Kalendas Apriles a. MMVI diem obiit supremum. Cf. Is. 40,6 et *Carmina viatoris*. Supplementa Humanistica Lovaniensia xix. Leuven University Press, 2005, p. 241.

ADVLESCENTES RVSSI ET BELGÆ LATINE CONVENIVNT

Musica mirum in modum effecit ut duæ singulares scholæ consuetudinem inter se iungerent, etsi compluribus milibus chiliometrorum separatae. ¶ In Schola Nova, non solum litteræ Græcæ et Latinæ coluntur, sed etiam musica. Quare, occasione celebrationis Demetrii Chostakovitch Bruxellis in conservatorio habitæ, musicorum grec Quattuor Danel invitatus est ad concentum musicum in Schola Nova faciendum. Unus autem ex his quattuor musicis discipulus fuit celebris altistæ Theodori Druzhinin, qui Demetrio Chostakovitch fuerat amicus. ¶ Post finem regiminis communistici in Russia, filia Theodori Druzhinin scholam privatam Moscuæ creavit, quam « Museum » vocavit, ubi modo tradito docerentur lingua Latina et Græca. Musicus gregis Danel hoc sciebat et, cum compriisset quid ageret Schola Nova, statim putavit consuetudinem inter has scholas iungendam esse, cui rei sine mora dedit operam. ¶ Sic factum est ut mense Martio duodecim discipuli Russi cum duabus magistris et vidua Theodori Druzhinin in Scholam Novam advenirent. Statim iucundum commercium ortum est inter Belgas et Russos ; hi enim facile loquebantur Francogallice, cum hanc linguam quaternas horas septimana-

tim discerent ; magistra linguæ Francogallicæ, quæ eos comitabatur, eleganter Francogallice loquebatur cum levi accentu Parisino. Russi discipuli etiam bonam linguæ Latinæ notitiam habebant, sed ad eius usum nondum exercebantur ; eorum tamen magistra, quæ etiam comitabatur, optime et facile Latine loquebatur. ¶ Inter eorum mansionem invitatus sum ad acroasin faciendam ; multa Francogallice narravi de Hadriani villa et postea imagines in albo Latine commentatus sum. ¶ Russis etiam licuit certamen causidicorum spectare ; mos enim est in Schola Nova huiusmodi certamen partim Latinum quotannis instituere, ut discipuli assuefiant palam loqui. Hoc autem erat hornotinum thema : imperatori Augusto persuadendum erat ut Æneidem contra auctoris voluntatem servaret. ¶ Fieri non poterat ut Russorum mansio non musice finiretur ; in auditorio Scholæ Novæ concentum publicum fecerunt Paulina Caplier ad clavile, Alexander Feye violina et Raphael Feye violoncello. ¶ In discessu multæ lacrimæ defluxerunt. Iam consilium captum est ut proximo anno discipuli Scholæ Novæ novos amicos suos Moscuæ visitent... ☩



In hoc fasciculo !

De climatis mutatione [G. Licoppe] p. 1

De equitum ortu ac facinoribus [G. Licoppe] p. 3

In Tartariam (I) [F. Deraedt] p. 8

Caroli de Comitibus carmina edita et inedita (I) [Th. Sacré] p. 10

De Beniamino Franklin [V. Ciarrocchi] p. 13

Bibliotheca Latina p. 15

Orbis Latinus p. 16

Imago tegumenti : Russia seu Moscovia itemque Tartaria, 1630.

LATINE LOQVI...

SYMPOSIVM BRVXELLENSE

instituet Melissa d. 6-13 m. Augusti a. 2006,
auspiciis Academiæ Latinitati Fovendæ

Proxima æstate Melissa symposium Latinum in urbe Bruxellis instituet. Hoc symposio, quod volumus esse iucundum sodalium concilium, participibus dabatur occasio de variis argumentis disputandi, quæ Latinistis cordi esse solent. Eis autem, quibus loquela Latina nondum est consueta, exercitationes Latine loquendi proponentur.

Pretium

- *inscriptionis :*

- *adultis : 50 eur.*

- *discipulis et studentibus : 25 eur.*

- *pernoctationis et victus : 250 eur.*

- *externis : 18 eur. singulis diebus pro œco et prandio.*



Qui participare cupiunt nos certiores faciant.

ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ CONVENTVS

In Hispania, Alcannizii et Ampostæ, d. 24-28 m. Iulii.
¶ joaquin.pascual@uca.es

AMICITIA CATHOLICA PRO LATINITATE

In Germania prope Coloniam, d. 16-22 m. Iulii.

¶ dominique.viain@wanadoo.fr

CONVENTICVLVM LEXINTONIANVM

Lexintoniæ in America, d. 14-23 m. Iulii.

¶ Prof. Terentius Tunberg : clatot@pop.uky.edu

CONVENTICVLVM RVSTICVM

In Civitate Vasintonia d. 25 m. Junii - 1 m. Iulii.

¶ http://www.wenval.cc/boreoccidentales/

FERIÆ LATINÆ

In abbatia Sancti Michaelis Ferigoletensis, 31 m. Iulii - 7 m. Augusti. ¶ marie-antoinette.avich@wanadoo.fr

SEMINARIVM PRAGENSE

A L.V.P.A. institutum, 31 m. Iulii - 6 m. Augusti.

¶ www.lvpa.de/

SEMINARIA SOCIETATIS LATINÆ

¶ Morsaci in Helvetia : 23-29 m. Iulii. ¶ in Belgica in abbatia Maretolensi : 6-12 m. Augusti. ¶ Societas Latina : s.albert@mx.uni-saarland.de

SEPTIMANA AMCENEBVRGENSIS

Latine loqui - Romane coquere, 29 m. Iulii - 5 m. Augusti. ¶ www.septimanalatina.org